

Lunae die 15 mensis Aprilis anno 1991
A.d. XVII Kal. Maias MCMXCI

41



MELSSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4



Auspiciis Finnici Ministerii Publici rei institutoriae

SYMPSIUM LATINUM

habebitur a die 25 usque ad diem 27 m. Octobris anni 1991

Lutetiae Parisiorum in aedibus

INSTITUTI FINNICI

Agetur

DE LINGUA LATINA VINCULO EUROPAE

a XII saeculo ad tempora nostra.


Hic est nuntius et magni momenti et singularis. Nam auspiciis sumptibusque Rei Publicae Finnicae symposium Latinum institui est res singularis, cum hodie regimina nationum Europaea- rum nostro cultui civili Graeco-Latino videantur infesta. Post secundum bellum mundanum politici qui rerum publicarum habenas acceperunt gradatim sed tenaciter effecerunt ut studia Latina et Graeca, quae sunt fundamenta communis cultus civilis Europaei, ex institutione cycli secundarii omnino expellerentur. Ad calcem in Francogallia mox pervenietur, ut patet ex novis programmati- bus scholaribus propositis (in diario «Le Figaro» 18/03/91: «Latin-Grec: double exclusion lourde de conséquences» scripsit J. de Romilly, sodalis Aca- demiae Francogallicae). Eo maioris momenti est

symposium Latinum Parisiis instituere, quo peio- res in Francogallia videntur fieri condiciones insti- tutionis Latinae.

Huius propositi initiator est prof. Thomas Pekkanen Finns. Superiore aestate Granivici (v. Jyväskylä in media Finnia), cum seminarium Lat- inum inaugureret cancellarius rei institutoriae Finnicae Iacobus Numminen, Thomas Pekkanen ei propositus ut institueretur symposium Latinum in Instituto Finnico post nonnullos menses inaugu- rando. Quod propositum cancellario statim pla- cuit atque curatores designati sunt.

Institutum Finnicum Parisiense die 18 m. Octobris anno 1990 sollemniter inauguratum est a praeside Parlamenti Finni, M. Kalevi Sorsa. Si- tum est in «Vico Latino», qui dicitur, inter Sorboni-

Institut Finlandais Suomen Ranskan Instituutti



60, rue des Ecoles, 75005 Paris - Tél. (33 1) 40.51.89.09

cam studiorum universitatem et thermas Romanas hodie museum Cluniacense factas, in aedibus quas Res Publica Finnica emit atque ubi antea instructum erat cinematographum c.n. «Cluny Ecoles». Architecto Finno M. Juhani Pallasmaa mandatum est ut aedes funditus renovaret adaptaretque novo usui. Institutum frontem habet duplicem: in sinistra parte servatur aspectus veteris aedificii, medio superiore saeculo exstructi; altera pars tota vitrea ei omnino est dispar: ad Finnicum structurae genus accommodata est, ut sunt etiam partes interiores. Materia quae est consentanea hodiernae sensibilitati Finnicae praecipue constat ex orichalco, fraxino, pino et vitro. Formae electae spatium videntur augere. Praeter bibliothecam et nonnulla utilia loca, insunt auditorium 64 sedum, omnibus modernis instrumentis audivisificis praeditum, et maior oculus ad multos usus idoneus, quo continentur usque 150 homines; per eius murum vitreum patet prospectus in thermas musei Cluniacensis.

Institutum Finnicum Parisiense primum est huius generis in orbe terrarum. Ibi exhibentur variae expositiones, fiunt acroases concentusque musici; quarum rerum scopus est efficere ut Francogalli melius noscant cultum civilem Finnicum, eo ipso tempore quo illi iterum cum ceteris Europaeis artius coniungi cupiant.

Oportet enim recordemur Medii Aevi tempore in maiore Europae parte usque in Finniām flo-

ruisse eundem cultum civilem, cuius instrumentum communicationis erat lingua Latina. Tunc fuerunt Aboae (Finnice Turku; fuit urbs caput Finniae) octo episcopi qui Parisiis studuerant. Duo ex eis, antequam fierent episcopi, electi sunt rectores studiorum universitatis Parisiensis; notissimus eorum est Olaus Magnus, rector ab anno 1435 in annum 1437, qui duodecim annos Lutetiae vixit.

Reformatione protestantica consuetudines Finnicæ cum orbe catholico Romano diu interruptae sunt. Pauca ex Francogallia postea in Finniām pervenerunt. Sed XVIII saeculo nobiles Finni linguam Francogallicam libenter colebant suasque bibliothecas libris Francogallicis ornare solebant. Plerumque tamen Francogallicæ visiones tantum per cultum civilem Germanicum in Finniām perveniebant.

Magis directi facti sunt contactus ab Expositione Universali Parisiis anno 1900 habita.

Quales tamen revera sint Finni vix notum est in Europa occidentali. Scopus Instituti Finni ci est patefacere e quibus constet specietas Finni ca. Quae specietas vero non facile cernitur. Omnino non congruit cum identitate ethnica: nam hodierum Finnorum quarta pars originem habet Finno-Ugriam, quarta Scandinavianam, quarta Balticam et reliqui diversam. Maxima Finniæ pars pertinet ad cultum civilem Roma ortum; in Carelia tamen sunt orthodoxi, cum haec provincia orientalis sita sit in limite inter cultum Romanum et cultum Byzantium.

Primus rector Instituti Finni ci designatus est Tarmo Kunnas, antea decanus provinciae litterarum et professor litterarum comparandarum in studiorum universitate Granivicensi (v. Jyväskylä). Tarmo Kunnas, quem iam compluries nobis contigit iucunde convenire, putat cultum civilem Europeum locupletari posse diversitate nationum sed fontes huius cultus simul colendos esse, quibus soveatur necessaria inter nationes harmonia. Hoc in animo in suum Institutum accipiet Symposium Latinum, quod nuntiamus.

Ante paucas septimanas una cum ceteris Symposii curatoribus eum Parisiis convenimus ad dies programmaque constituendum. Dies iam nuntiamus; de programmate plura patescent in proximo Melissae fasciculo, sed iam dicere possumus oratores invitatos oriundos esse undique Europae, etiam orientalis, ut pateat totius Europae linguam Latinam esse vinculum. ■

Gaius LICOPPE




DE MUSEO COLONIENSI

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

(Secunda pars)

DE VASIS FICTILIBUS IN MUSEO EXHIBITIS

CCAA (Colonia Claudia Ara Agrippinensium) non solum caput erat provinciae Romanae, i.e. centrum administrativum culturaleque, sed etiam sedes numerosarum officinarum oeconomicarum e.g. opificum, artificum, fabrorum ad salutem urbis communem conferendorum. Speciatim officinae vitrariae figlinaeque maximi erant momenti praesertim cum inexhaustis arenae argillaeque copiis abundarent in propinquuo sitis. Usque ad primam primi p.Chr.n. saeculi dimidiam tales officinae intra moenia erant sitae, mox autem Claudio imperante incendiorum imminentium vitandorum causa ultra moenia erant transferendae. Maior enim pars domuum, speciatim tabula superiora, e



Tres matronae (*donum supremum*)

materia i.e. e ligno erant exstructa. Tali modo decursu annorum extra urbem secundum moenia zonae industriales sive societatum bonis gignendis exortae sunt. Cum secundo p.Chr.n. saeculo exeunte imperium Romanum esset in ancipi, figlinarum quoque productivitas desiit. Quarto p.Chr.n. saeculo demum denuo modestissime labores resumpserunt.

Quamquam CCAA centrum industriale conditurae vitreorum fuit maximi momenti, vestigia talium officinarum raro tantum sunt reperta quia residua conditurae i.e. vasa fracta vel non successa iterum regyrationi adducebantur.

In multis musei armariis vitreis artificia opera que figulorum et vitreariorum illorum temporum sunt exhibita.

Primit dominationis Romanae in Rhenania decenniis formae vasorum gustusque figulorum Gallorum et figulorum originariorum dominabantur, i.e. merx c.n. BELGICA culturae materialis «**LA TENE**». Primi enim figuli in oppido Ubiorum Galli erant, qui una cum primis legionibus Romanis in illam provinciam Germanicam pervenerant militibusque vasa fictilia ad usum cottidianum subministrabant. Claudio autem imperante gustus Romanus praevalere coepit quoad talia vasa, speciatim vasa alba superficie polita vase que scabra. Vasa terrae sigillatae autem Coloniae non sunt confecta argilla qualitatis necessariae deficiente, ergo importanda erant ex Italia aut e Gallia centrali (Lazoux, La Graufesenque).

Non semper nomina figulorum vitreariorumve nobis sunt nota. Nonnullis vasis vitreis in fundo litterae initiales CCAA sunt impressae, itemque magnus numerus lucernarum figlinarum primi p.Chr.n. saeculi exeuntis nomine figlini aut officinae est notatus. Speciatim statuncula deorum dearumque ex argilla confecta milliesque in sepulcris reperta praedita sunt nomine figuli aut officinae, e.g. «**CCAA IPSE FABRICIUS F(ecit)**»: figulus quidam Coloniensis tale statunculum trium matronum in museo exhibitum consecit.

Vasa ex argilla et vitro confecta exhibitaque in duobus altis musei armariis vi-



Eadem matronae, a tergo conspectae:
CCAA IPSE FABRICIUS F

tres dona sunt suprema in sepulcris Romanorum Coloniae reperta. Talia dona ultima ad defunctorum animas pertinentia necessaria habebantur ad vitam animarum in nemoribus fortunatorum. Insuper sepulcrum «domus aeternitatis» ducebatur: vitam degere si vis in aeternitate, multis tibi opus est vasis, e.g. cibis praeparandis. Vasa in culina necessaria sunt et erant: dolium, caccabus, cibrum, urceus, lagoena, situla, ampulla, tripus, cortina, mortarium, infundibulum multaque alia vasa fictilia. Multa quoque vasa vitrea in sepulcris sunt reperta, quae paululo cariora erant vasis fictilibus. Tamen incolae urbium et oppidorum tales merces ad usum cottidianum pertinentes prorsus indulgere sibi solebant.

UNGUENTA ET SEPLASIA

Toto orbe terrarum notus est ille «spiritus Coloniensis», ille liquor bene olens; vix autem sunt qui sciant iam in antiquitate Coloniae talia seplasia producta esse. Vox seplasii derivata est a Seplasia, nomine cuiusdam fori in urbe Capua, ubi tales liquores bene olentes in antiquitate produci et venire solebant. In quodam lapide votivo Coloniae reperto legimus quendam in urbe negotiatorem seplasiarium vixisse. Insuper lagunculae longo collo millies in sepulcris repertae testimonio nobis sunt magnam talium liquorum indigentiam fuisse - forsitan quia perolebat in nonnullis oppidis clo-

cis subterraneis deficientibus.

Parvae lagoenae globosae fictiles vitreae aut metallinae oleis bene olentibus repletae de bracchio dependentes aut catellis iunctae ante pectus gestari solebant, et illa unguenta aut seplasia corpori infricando ante aut post balneum inserviebant.

In pluteo inferiore armarii vitrei c.n. UNGUENTA ET SEPLASIA lagoena vitrea magna unguenti copia repleta et in sarcophago cuiusdam uxoris Romanae reperta exhibita est.

Multi Romani pluries cottidie corpora oleis infricabant speciatim antequam thermas adirent. Sudorem oleaque post exercitationes athleticas consumpta strigilibus desfricare solebant. Multae quoque res ad culturam corporis pertinentes velut theca pigmentaria, aryballo, ampullae, balsamaria visitatoribus musei proponuntur. Non solum feminae, sed etiam viri in antiquitate talibus seplasiis unguentisque utebantur. Insuper supercilia fuligine denigabant, minio fucoque genas colorabant, cerusa illita frontem bracchiaque exornabant.

Asia Minore urbeque Syracusis expugnatis illae novae provinciae ad orientem solem vergentes patebant et Romani inde ab illis temporibus omnia ad cultum corporalem pertinentia possidebant.

Multi Romae erant, qui tales res effeminantes repudiarent legesque contra illam luxuriam rogarunt. Attamen illecebrae provinciarum orientalium fortiores erant legibus senatus.

MATRONES

Numerosi in museo Coloniensi sunt lapides votivi matronibus dedicati tres tutelas repreäsentantes. Illae deae non solum in Gallia, sed etiam in provinciis Germanicis et ab indigenis et a Romanis colebantur. Multa iis erant nomina: matrones, matres, matrae, Iunones, Parcae, Fatae, Deae, Nymphae. In Gallia generatim singillatim repreäsentabantur, in Ubiis autem ternae in scamno aediculae sedere solent vestimentis Gallicis vestitae corbesque frugibus repletas inter manus tenentes. Duæ more indigenarum tegumento capitis ingenti vestitae matrimonio sunt iunctae, media autem plerumque minor statura et capite nudato: virgo, pulcherrimo grano exornata.

Si inter quoddam numen indigenarum et numen Romanum quaedam erat congruentia quoad auctoritatem sive competentiam, Romani tale numen peregrinum colendum sibi assumere solebant, secundum illam interpretationem Romanam (Tacitus, Germania, 43: «... sed deos interpretatione Romana Castorem Pollucemque memoriabant», i.e. ut Romani videntur cum suis deis comparati).

Tali modo Romani nomina et maiorem partem numinum Germanorum figuræ que deorum dearumque a Germanis adoptaverunt.

Fanum talis lapidis votivi omnia habet elementa templi Romani: pilas, tympanum, pulvinaria, patellam, acroteria, titulum.

Titulus generatim ex quattuor lineis constare solet: nomine generis numinis, nomine numinis, nomine eius qui dedicat, formula VSLM (Votum Solvit Libens Merito).

Bonna urbs quoque in antiquitate centrum matronum erat calendarum. Pleraque autem fana matronum ruri collocata sunt et reperta. Verisimile ergo est matrones primitus numina agrestia fuisse fecunditatis gregumque camporumque responsabilia. Sed etiam in oppidis urbibusque a civibus militibusque colebantur. Concludere ergo licet eas salutem felicitatem quoque hominum curavisse.

Duo milia talium lapidum sunt reperita quorum sescenta in Rhenania. Nonnulli sine titulo, nonnulli sine ornamento operis caelati. Mirum in modum hoc imaginum genus Romae non est repertum, tota autem Gallia, in Germaniae provinciis, immo vero in regionibus Britanniae extremis septentrionalibus, in Scotia.


Cognomina matronum saepe pertinent ad topographiam: Matribus Gallis, Germaniae, Frisis, aut ad lacus, campos, paludes, gentes etc. Radices nominum sunt Germanicae, terminaciones Romanæ. Primi matronum lapides votivi primo p. Chr. n. saeculo exeunti sunt adiudicandi, plurimi autem anno circiter p. Chr. n. 161 in Rhenania sunt voti, cum legioni I Bonna ad bellum contra Parthos gerendum esset proficiscendum.

Lapides matronibus voti usque ad saeculum quartum exstabant et medio in templo - i.e. in parvo agro muro aut saepimento circumiecto - in aede (i.e. in domo sacra) erant collocati.

In Francogallia matrones praecursores «auxiliatorum» Christianorum fuisse dicuntur adeo vero divarum quarundarum.

TERRA SIGILLATA

Multa vasa simplicia ex argilla confecta ad usum cottidianum pertinentia in armariis vitreis musei Coloniensis sunt exhibita: vasa escaria, vinaria, coquinaria, amphorae etc. Talia vasa simplicia parvi constabant et millies tantum in officinis suburbaneis ad usum cottidianum incola-



Lapis votivus: tres matrones

rum, civium, militum a sigulis Gallicis, Romanis, Germanicis in officinis circum moenia sitis confiebantur. Argilla suppetebat in regione Colonensi.

Terra sigillata autem, i.e. vasa nomine siguli aut officinae signata aut opere caelato in pariete exornata argillaque diluta illita primum in officinis Capuae est confecta et in omnes Imperii Romani partes exportata. Mox autem siguli illius urbis legiones Romanas per Galliam sequentes in illis novis provinciis novas condiderunt officinas speciatim in Gallia meridionali, centrali et in Gallia ad orientem solem spectanti. In Germania Inferiore argilla idonea deficiente officinae vix sunt conditae.

Tria sunt insignia vasorum terrae sigillatae: - primum: siguli vasa modo formata sigillis metallicis notabant, i.e. ferro signatorio;

- secundum: in pariete exteriore imaginibus caelatis sunt ornata;

- tertium: colore rubro et metallino sunt induita.

Terminus terrae sigillatae saeculo praeterito a quodam Francogallo est inventus. Quid nomen illius mercis in antiquitate fuerit nescimus. Vasa terrae sigillatae inde ab anno a.Chr.n. 38 usque ad 5 p.Chr.n. saeculum producta sunt in officinis Romanis.

Nomina figurorum officinarumque in parietes impressa divulgationi inserviebant laudis figuli et officinae.

Duo sunt genera talium vasorum:

- vasa formis iuvantibus confecta

- vasa rota figurali confecta.

Maior pars vasorum terrae sigillatae rota figurali laminaque interrasili adhibita conficiebatur, generatim pariete polita, interdum ornamentis appressis, rarius incisis erant exornata.

Quamvis formis iuvantibus multa centena milia talium vasorum producerentur in fornacibus Galliae, tale vas 2 p.Chr.n. saeculo 20 assibus constabat, i.e. quaestu cottidiano simplicis militis.

Inde a 2 p.Chr.n. saeculo officinae terrae sigillatae e Gallia in Germaniam translatae Augustae Treverorum quoque et in oppido c.n. Rheinzabern talia vasa pretiosa conficiebant et incolis militibusque subministrabant.

RAEDA

Saeculo praeterito exeunte in Graecia septentrionali prope Thessalonicam urbem inundatione fluminis c.n. Wardar tumulus quidam coemeterii antiqui Romani erosus est multaque partes constitutivae metallinae raedae Romanae secundi p.Chr.n. saeculi ad lucem sunt prolatae.

Pro dolor partes ligneae i.e. ploxi sive capsi raedae pannusque tecti et elasteria coriacea erant putrefacta. Itemque partes constitutivae ferreae robigine obductae dignae non sunt visae quae colligerentur.

Attamen 93 partes metallinae sunt servatae, maximam partem aeneae et ex orichalco confectae - talia enim metalla robigine non obducuntur.

In paeninsula Balcanica adhuc ducentae circiter tales raedae in seculis Romanis - arca loco - sunt effossae. In Rhenania quoque adhuc duas tales raedae cum ossibus hominum defunctorum sunt repertae. Nonnumquam iumenta quoque una cum cadavere aut ossi-

bus combustis sunt sepelita. Dona autem suprema rarissime ossibus sunt addita.

Anno circiter 1895 Francogallus quidam c.n. Peytel illas 93 partes metallinas emit a mercatore Iudeo.

Decem annis post Francogallus quidam c.n. Seure symbolam de illa raeda divulgavit annoque post raedam ex omnibus 93 partibus reiectam Lutetiae in Parvo Palatio («Petit Palais») exhibuit.

Bello praeterito mundano partes metallinae a magistratibus urbis Coloniae empta Museo Romano-Germanico sunt mandatae, ubi iterum cum novum aedificium musei Coloniensis inauguraretur - ab archaeologis nova reiectio alio modo conata et in museo est exhibita.

Vehiculum diribile est quia temo mobilis. Hami longi ferrei curvati currui inhibendo inserviebant; itemque pertica longa lignea radiis rotarum inserta vehiculum in via declivi retinebatur.


Modioli rotarum capitibus leonum exornati daemonibus periculisque in itinere arcendis forsitan inserviebant.

Latera quoque raedae statunculis aeneis et ex orichalco confectis sunt exornata; ploxeno effigies metallinae sunt affixae: quattuor Victoriae alatae, Dionysus satyro et Pane nitens, duae pardales.

Virini in oppido Austriae in pariete cuiusdam ecclesiae lapis opere caelato exornatus primi p.Chr.n. saeculi inclusus est repertus talem raedam cum duobus equis et raedario in sedili sedenti repraesentans.

Talibus imaginibus lapideis animo bene nobis effingere possumus, quales in antiquitate fuerint raedae Romanae. ■

(sequetur)



ANNI CCCL UNIVERSITATIS FINNICAЕ

SCRIPSIT CLAUDIUS KARTTUNEN

In Universitate studiorum Helsinkensi, quae olim nomine Academiae Aboensis nota erat, anno 1990 anniversarium trecentesimum quinquagesimum magna pompa actum est.

Condita est prima illa Finnorum Academia anno MDCXL in urbe Aboa (vulgo Turku), quod illis temporibus caput Finniae erat, a Christina Suecorum regina et a Petro Brahe, praefecto Finniae. Hic postea primus Academiae cancellarius factus est. Circiter CLXX annos Academia Aboensis fuit, ut ita dicam, provincialis, nam Finnia erat pars regni Suecorum, cuius universitas studiorum prima et principalis Upsaliensis habebatur.

In initio officium principale Academiae educatione sacerdotum fuit. Itaque theologia primum locum tenebat et ceteras scientias subiectas habebat. Sed iam XVII saeculo aliquot viri docti Aboae excellebant, ut Michael Wexionius-Gyldenstolpe historicus, Andreas Thuronius philosophus, Elias Tillandz medicus botanicusque, Enevaldus Svenonius theologus. Prima officina typographica anno MDCXLII ad usum Academiae condita est. In institutione Latinitas praevalebat. Professor poetices poetas Romanos, eloquentiae professor oratores et historicos docebat.

Saeculo XVIII, quod ad utilitatem oeconomiam spectabat, theologia paulatim recedere coepit. Ex disciplinis praecellebant oeconomia, chemia, botanica, agricultura. Illustriores inter professores erant physici Browallius et Mennander, chemici Gadd et Gadolin. Petrus Kalm, professor oeconomiae, Linnaei discipulus, etiam in America peregrinatus erat. Sed omnium illustrissimus erat Henricus Gabriel Porthanus, professor eloquentiae et poetices Latinae, qui pater historiographiae Finniae habetur.

Saeculum XIX magnas mutationes adduxit. Anno MDCCCI Finnia a Suecia seiuncta in principatum imperii Russici formata est, ita tamen, ut autonomiam cum administratione propria haberet. Pace in Finnia restituta studia academica florere perrexerunt et numerus professorum studiosorumque in singulos annos crescebat. Post incendium, quod anno MDCCCXXVIII Aboam devastavit, Academia Helsinkium, in novum caput Finniae translata est et novo nomine Universitas Imperialis Alexandrina appellata est. Architectus Engel, origine Germanus, nova et magnifica aedificia Universitatis delineavit.

Universitas Finnica Helsinkiensis facta, quae antea soli theologiae serviverat, iam plurimis scientiis pollebat. Philologi Finni in remotas regiones, ut materiam colligerent, itinera facere coeperunt. Mathias Alexander Castrén tundras Sibiricas adiit, Georgius Augustus Wallin deserta Arabica perlustravit. Clari nominis professores erant Bonsdorff medicus, Nervander physicus, Sahlbergi (pater et filius) zoologi multique alii.

Anno MCMXVII Finnia res publica libera et sui iuris facta est et universitas studiorum, quae imperialis et Alexandrina fuerat, nunc nomine breviore Universitas Helsinkiensis appellatur. Quamquam saeculo XIX mediante aliae in Finnia universitates conditae sunt (duae Aboenses sive Turkuenses, Granivicensis sive Jyväskyläensis, Ouluensis et ceterae), antiquissima et omnium maxima Helsinkiensis prima inter pares est.

In studiis Universitatis philologicis Latinitas, ut par est, diu primum locum habuit. Sed nec Graeca neque orientales linguae defuerunt. Ab initio professor linguarum sacrarum Graecam et Hebraicam linguam docebat. Saeculo XVIII iam auctores Graeci profani et lingua Arabica docebantur. Saeculo XIX philologia Indica et studium inscriptionum, quae cuneiformes vocantur, et studia Sinica et Iaponica incohaverunt.

Anniversarium universitatis CCCL omnes facultates promotionibus sollemnibus celebraverunt. Kalendis Iuniis acta est promotio Ordinis (sive Facultatis) Philosophorum, ubi numerus magistrorum et doctorum promovendorum maximus fuit omnium.

Inter promotiones academicas orationes multis et variis linguis pronuntiari solent, non solum Finnice et Suetice, sed etiam Anglice, Hispanice, Latine et ita deinceps. Carmen Graeca lingua antiqua a se compositum recitavit Ericus (Erkki) Sironen, ego autem, qui doctor philosophiae creatus sum, salutationem, quam Latine et Sanscritice scripseram, his verbis inter sollemnitates Helsinkienses pronuntiavi: «Faustum! Honorati vos estote! Haec sollemnitas promotio universitatis nostrae festum sapientiae, scientiarum humanitatisque est. Nos magistri doctoresque iuvenes insignibus honoris ornati, vitae parati, patriae servandae prompti, deam sapientiae colentes hanc noctem magna sollemnitate et saltationibus agimus. Tempus iucundum fortunatumque omnibus sit. ■

CAROLUS ERNESTUS A BAER (1792-1876)

PROPONIT GAIUS LICOPPE

Hic doctus, natione Russus, natus est in Estonia. Magnam famam habet in historia scientiarum, cum habeatur ut conditor embryologiae modernae. Indagare coepit anno 1819. Erat zoologiae professor publicus ordinarius Regiomontanus (v. Königsberg, in Borussia orientali; nunc pertinet ad Foederatas Civitates Socialisticas Sovieticas et vocatur Kalinigrad), cum anno 1827 opus maximi momenti divulgavit, i.e. epistula ad academiam imperialem scientiarum Petropolitanam missa cui titulus ‘De ovi mammalium et hominis genesi’.

Primus ovulum canis detexit; inde demonstrare potuit etiam mammalia animalia ab ovo oriri, contra rationem ‘meri liquoris formativ’ tunc vigentem (Kölker et Haeckel). Novam doctrinam condidit, quae pertinet ad incrementum animalium ab ovi fecundatione usque ad formam adultam; huic doctrine nomen dedit ‘ontogenesis’, i.e. entis origo, secundum exemplum ‘phylogenesis’, i.e. generum origo; quod vocabulum paulo ante finixerat Haeckel. Postea in duobus tomis (I 1828; II 1837) suum opus maius Theodisce conscriptum divulgavit, c.t. ‘De animalium genesi, observationes cogitationesque.’

Hic proponimus nonnulla excerpta operis c.t. ‘De ovi mammalium et hominis genesi’, cum sit Latine conscriptum. Est enim bonum exemplum modi scribendi ad scientias explicandas apti; res explicantur emendate, frugaliter et significanter; elegantia tamen non respuit; non desunt vocabula nova, quae in usum scientiarum recepta sunt et quorum multa adhuc communiter adhibemus.

VIRI EXCELLENTISSIMI PERILLUSTRES !

Suffragium vestrum, quo me Academiae ab epistolis esse voluistis, quantum me extulerit, vobis enuntiare haud conabor, imprimis cum me, hominem novum, cum viris coniunxit, quorum nomina plurimi ponderis sunt in republica litterarum. Vos me adhortari voluisse puto, ne otier, sed intentis viribus tantorum virorum vestigia premam. Gratias pro vestra erga me benevolentia non aptius me acturum censeo, quam si vobiscum inventum novissimum communico, quod, cum ad historiam evolutionis¹ pertineat, sub vestris auspiciis in lucem proferre summam mihi praebet voluptatem. (...) Contigit mihi etenim, ut ovi mammalium² et hominis primordia in ovario³ invenirem, quae per saeculorum seriem tot et tantis laboribus frustra quaesita sunt. Circa hanc rem naturae

scrutatores quam maxime dissentire inter omnes constat.

Cum iam ex antiquitate notum esset, vitellum avium in ovario maturescere, tum per oviductum devectum, albumine et in illius parte inferiori vel sic dicto utero testa indui, Regner de Graaf⁴, vesicularum in ovario mammalium si non inventor, primus tamen accuratior observator, non potuit non has pro ovis habere; et cum praeterea ova in cuniculorum tubis vidisset, nullus dubitavit, haec ova easdem esse vesiculos delapsas. Cui sententiae, a multis physiologis receptae, posthac contraria exstiterunt exacta experimenta Guilielmi Cruikshank, qui utique saepius ova in tubis cuniculorum, vesiculis Graafianis tamen multo minora, observavit. Nostris temporibus Cruikshankiana asserta a duobus observatoribus accuratis et microscopii⁵ usui quam maxime assuetis, Prévost et Dumas, comprobata sunt in canibus et cuniculis. (...)

In uterus cani vivae erectum, omni vitalitate praeditum, incidi, quod hodie valde dissuadeo. Iam in reliquis mammalibus difficile scopum hac via attinges, in cane vero semper ova iuniora contractionibus uteri dilacerantur, quod et iis accidisse videtur, qui pluribus hebdomadibus post conceptionem ova in utero mammalium non invenerunt (*Göttinger gelehrte Anzeigen vom Jahre 1824, pag. 195*). Tertium ovum post duas horas ex utero, vitae iam experte, enucleare studui. Uteri cornu supra ovum cautissime scisso, ovi membranam externam villis⁶ numerosis praeditam intactam distincte conspexi, quam vero, cultro omnino seposito contemplatus, uteri marginibus, qui villis illis arctissime iam iuncti erant, retractis, disrumpi vidi! Fetus tamen integrum inveni et aream vasculosam⁷ splendide rubentem admiratus sum. Quartum denique ovum post meridiem ex utero iam paululum flaccido integerrimum evolvi. In examinandis et delineandis membranis aliisque rebus horas plures posui, quo factum est, ut, cum ad contemplationem areae vasculosae per microscopium me converterem, illius ambitum haud amplius discernere possem et nunc in dubio relinquere coactus sim. Sed methodice enarrabo observata!

Trium hebdomadum graviditatem dixit canis venditor, quod cum observationibus Bojani (*in Novis Actis nat. Cur. Tom. X*) ex tempore ulteriori, et






Fig. VII^a: Fetus caninus, lateri sinistro incumbens, resecta vaginae capitis parte dextra, nec non sacci intestinalis parte dextra.

a.b. Transitus laminae pituitosae sacci intestinalis in vaginam capitis.
a.c.d.e. Vagina capitis dissecta. e.f. Vena descendens dextra reclinata.
f' Locus, quem primitus tenuerat. e.g. Atrium cordis. h. Ventriculus cordis. i.i. Pericardium. k. Bulbus. l. Aorta. m.n.o. Encephalon. m. Auris et medulla oblongata. n. Corpus quadrigeminum. o. Oculus et cerebrum. p. Aditus ad intestinum crassum. e.p. Sutura vel sulcus intestini medii. q.r.e.p. Intestini paries sinister. s.t.e.p. Intestini paries dexter. q.r. Angulus, quo paries intestini sinister in saccum intestinalem transit.
*u.v.w. Area vasculosa. q.r.w. Area pellucida. u.s. Vena ascendens. x.y. * et ** Amnion. z. Saccus urinarius s. Allantois.*

coniunctorum amicorum Prévost et Dumas ex tempore antecedenti (*Annales des sciences naturelles, Tome III*) satis bene congruit, minime vero cum reliquis meis experimentis, quae viginti quattuor circiter dies his ovis darent.

Mitto uteri condicionem et omnia, quae non pertinent ad propositum nostrum. Ovum magnitudine sua depictum videtis *Fig. VII*, binis apicibus pellucidis, altero acutiore praeditum. Praeter apices totum ovum obscurius est villis membranae externae affixis, nam zona placentaria maximam ovi partem primitus cingit, ut iam ex Bojani iconibus⁸ constat. (...)

Praeter ova modo descripta saepius alia vidi; penitus pellucida, multo minora, dimidiam lineam diametro aequantia, quae tam libere in uteri cavitate iacebant, ut levissimo flatu in huius organi muco moveri vel cultelli manubrio facilissime attolli possent, atque tam tenerrimis membranis constituta erant, ut quivis flatus formam mutaret eodem fere modo ac bullae saponariae, quibus fabricandis et per aerem agitandis pueri gaudent. (...)

Restabat ut de ovarum condione in ovario certiore me facerem; nam ova tam parva vesiculas Graafianas ipsas ex ovario expulsas non sistere luce clarius visum est, nec verisimile habui tam solida corpuscula in tubis ex vesicularum fluiditate modo coagulata esse. Ovaria contemplans iam ante omnem incisionem in quacumque fere vesicula punctum luteo-album clare distinxii, quo velamentis vesiculae nullo modo affixum libere liquori innatare pressio, speculo in vesiculam facta, manifeste docuit. Curiositate quadam potius seductus, quam spe motus me nudis oculis per omnes vesicularum Graafianarum tunicas ovula in ovariis vidiisse, vesiculam aperui, de quo dixi punctum cultelli lamina (tam distinete illud vidi et a muco circumdante discrevi) arripui et microscopio subieci. Obstupui profecto, cum ovulum ex tubis iam cognitum tam clare viderem, ut caecus vix negaret. Mirum sane est et inexpectatum, rem

tam pertinaciter quaesitam, ad nauseam usque in quocumque compendio physiologico uti inextricablem tractatam, tam facilissimo negotio ante oculos ponni posse. (...)

CONCLUSIO. Omne animal, quod coitu maris et feminae gignitur, ex ovo evolvitur, nullum ex mero liquore formativo.

Semen virile per cuticulam ovi, nullo foramine perviam, in ovum et praeparatis in partem quan- dam ovi innatam agit.

Evolutio omnis e centro ad peripheriam tendit. Partes ergo centrales ante periphericas formantur.

Idem evolutionis modus in omnibus animalibus vertebratis a rhachide incipiens.

ADNOTATIONES

- (1) *evolutio*: hic habet sensum novatum, qui adhuc valet in linguis vernaculari.
- (2) *mammalis*: adiectivum novum quo designantur animalia quae mammas ferunt.
- (3) *ovarium*: vocabulum novum - organum ubi nascentur ova.
- (4) *Rainerius de Graaf* (1641-1673) fuit medicus Nederlandus qui artem suam Delftae (v. Delft) exercuit. Notus est propter descriptionem follicularum ovarii mammalium (1672), qui hic appellantur "vesiculae Graafianae".
- (5) *microscopium*: vocabulum novum.
- (6) *villus*: sensus novus; designat partes carnatas protuberantes quae aspectum pili habent.
- (7) *vasculosus*: arteriis venisque irrigatus.
- (8) *icones*: hic significat imagines ad usum scientificum delineatas.

AB OBLIVIONE VINDICETUR...

Ne timeant lectores, symbolam non inventantes, qua a Theodorico Sacré conscripta his in paginis solent delectari: eam in proximo fasciculo iterum licebit legere.

HORA LATINA 21/11/1990

RECITAVIT TEIVAS OKSALA

In Melissae superiore fasciculo (p. 15), cum de Fennicis emissionibus Latinis referremus, quae a Teiva Oksala instituuntur, promisimus nos textum unius ex his «Horis Latinis» lectoribus oblaturos esse:

Auditores optimi, Teivas Oksala vos in radio-
phonia universitaria Tamperensi salvere iubet.

Urbs nostra Tampere rebus athleticis floret. Sed praecipua aura populari fruitur alsulegia glacialis, lusio illa hiemalis, quae in forma originaria iam septimo decimo saeculo in Nederlandia et Anglia inventa est. Nam in canalibus glacie concretis patinatores malleis et ferulis repandis parvulum discum in portam adversariorum conicere aut contorquere conabantur. In Finniam alsulegia glacialis aditum invenit tertio decennio huius saeculi.

Stadion glaciale Tamperense in Hakametsä situm capax est circiter decem milium spectatorum. Sub eodem tecto est etiam Museum alsulegiae, cuius primus motor est Aarne Honkavaara, in mea pueritia ipse notissimus lusor (oppugnator) alsulegiae. Ibi possis cognoscere historiam huius ludi generis.

In mea pueritia alsulegiariis sub Iove et sine glacie artificiali ludendum erat. Tum stadion glaciale iacebat in via nomine Koulukatu, ubi etiam hodie pueri disco glaciali ludunt. Societas alsulegiariae «Lynx» (Ilves), fundata anno tricesimo primo, et «Bipennis» (Tappara), fundata nomine TBK (Tammerfors Bollklubb) anno tricesimo secundo, non solum de principatu urbis, sed etiam de primatu totius Finniae quotannis certare solent. Lynx sexies decies aurea nomismata reportavit, Bipennis autem quater decies. Argentea et aerea nomismata ne numerare quidem volo.

Societas vestitu colorato facile internoscuntur. Lynx vestitum habet nigrum, flavum, viridem; caput lyncis in camisiis lusorum impressum est. Bipenni autem sunt colores albus, caeruleus, luteus; symbolum eius est imago bipennis, id est securis, quae duas acies habet.

Dominica, die quarto Novembris, Bipennis et Lynx inter se certaverunt, quod spectaculum in televisione Radiophoniae generalis spectari potuit. Tum ego quoque ante televisorium sedebam, quoniam fautor sum Lyncis. Certamina regionalia

plerumque sunt acerrima et ancipitia, quia adversarii alteri alteros optime neverunt. Sed hoc certamen nimis facile solutum est. Nam Bipennis illo vespere ab initio superior erat neque ullam facultatem vincendi adversariis reliquit. Bipennes firmitore ratione et cooperatione colludebant, lusus Lyncium nullo tempore bene fungebatur.

Summus arbiter Pertti Juhola sibilum initialem dedit. Ab initio Bipennis magna vi premebat. Post quinque aut sex minutis primo Jiri Kucera (Bipennis), deinde Mika Nieminen (Lynx) poenalter egerunt et duas minutis in carcere sedere debebant. Ita quattuor lusoribus contra quattuor contendebatur, cum Janne Ojanen (Bipennis) discum praeter ianitorem Jukka Tammi contorsit. Quamquam Pekka Laksola, defensor bipennis, minuta duodecima in carcerem immissus est, Lynx vi superiore nihil effecit. Duodecima autem minuta Timo Susi, oppugnator Bipennis, discum in portam Lyncis direxit. Status primae partis ergo Bipenni duo ad nulla (2-0).

In altera parte minuta fere vicesima tertia Jari Lindgren (Bipennis) a defensoribus Lyncis effugit et partibus suis punctum fecit. Lynx bis vim superiorem consecutus est, sed Bipennis magna arte eius consilia perturbavit et ianitor Jari Halme, claustrum ultimum suorum, omnes conatus propulsavit. Ultima huius partis minuta Jukka Tammi, ianitor Lyncis, poenam accepit, quae iam in parte tertia continuabatur, et alter lusor pro eo in carcerem immissus est. Sed Lynx bene oppressionem adversariorum sustinuit. Post alteram partem status certaminis tria ad nulla (3-0).

Tertia pars eodem fere modo acta est ac priores. Interdum etiam acerrime pugnatum est, ut certamen regionale decet, sed tempore rei bene gerendae Lynx poenam accepit. Etsi Bipennis duas minutis cogendo premere potuit, nihil effecit. Ultimis minutis tamen Markus Oijennus (Bipennis) discum in portam Lyncis trusit, postquam Jukka Tammi eum amiserat.

Bipennis ergo superior discessit statu finali quattuor ad nulla (4-0). Spectatores fuerunt septem fere milia et sescenti. Speramus proximum certamen harum societatum Tamperensium acrius fore, ut statu ancipiti spectatores plus delectet.

Curate, auscultatores, ut valeatis. ■



DE MIRIS P. VERGILII M. REBUS GESTIS

SCRIPSIT ANDREAS FLOUR

... quas magistri mei illo tempore patefacere non ausi sunt, sed quas nunc, hieme vitae meae iam saeiente, in eruditissimo doctissimi auctoris libro¹ ipse inveni. Vix exspectare potui quin et vos, sodales, certiores facerem. Ad usum vestrum ergo nonnulla breviter contraho.

Vergilius iam semper celeber et immortalis erat, etiam medio aevo, sed, mirabile dictu, non propter Aeneidem, sed sicut magus et incantator. Causam illius famae hic longius exponere nolo nec possum. De hac re in libro D. Comparetti, *Virgilio nel medio evo* (Livorno, 1872) omnia legere potestis. Quarto iam saeculo Macrobius in libro c.t. Saturnalia scripsit Vergilium extraordinarium ingenium habuisse et omnium artium expertum fuisse, artium quoque arcanarum et «prohibitaram». Ineunte XVI saeculo librum invenimus *De Virgilio, de vita et de morte eius, et de laboribus mirabilibus quos necromantia et cum auxilio diaboli fecit*. Hac ex «Vita» duas vobis propono fabellas:

Prima fabella nobis narrat Vergilium, Aeneide iam famosum, amore raptum, nobili cuidam et decori mulieri nocte et furtive occurtere velle. Venus illa consensum simulat sed Vergilium ludere statuit. Vergilium in sporta considere iubet quam nocte e fenesta sua demittet et quam deinde, Vergilio in sporta abscondito, rursus ad fenestram suam retrahet. Vergilius libenter oboedit et matrona eum altius retrahit. Sed inter caelum et terram mulier, docta malitiae, funem sigit. Postera autem luce dies mercatus erat et permulti Vergilium videbant, agnoscebant, deridebant. Omnes enim quid accidisset facile comprehenderunt.

In altera fabella auctor Vergilium fontem iuventutis quaevisisse nobis narrat sed, imperatoris amici interventu non voluntario, mortem immo vero horribilem invenisse.

Omnis senex iuventutem suam recipere vult. Omnis Europa occidentalis somnium illud per multa saecula fabellis suis fovebat. Sed frustra. Fabella nostra nos docet Vergilium felicem fere exitum habuisse. Non erit enim Vergilius quilibet!

Cum Vergilius finem suam proximam esse sentit, scientia sua magica et miris suis facultatis uti vult ad praeteritos sibi annos referendos, et id modo vehementissimo... «Et dixit Vergilius servo suo: Vide, in hac cupa, quae hic stat, me sallire debes et me in partes scindes et caput meum in

quattuor partes divides et deinde alias partes iuxta et cor meum in medio pones». Salsurae tempus erat novem dierum (numerus sanctus). Supra cupam lampadem sine intermissione ardere et eius oleum in cupam destillare oportebat.



*Vergilius in sporta sua -
imago excerpta ex libro citato*

Post novem dies Vergilius sine dubio iuvenis a morte ad vitam revocatus esset nisi... heu me!... post septem dies imperator, Vergilius amicus, inquietus quia eum a septem diebus non viderat, domum Vergilii petivisset. Servo minitato ad Vergilium se duci iubet. Videt cupam, videt Vergilium mortuum. Servum necat. «Et tunc puer quidam nudus visus et auditus est, qui ter circum cupam cucurrit. Puer clamat: Maledictae sunt dies et hora quibus huc venisti. Et evanescit. Et puer postea numquam visus est et Vergilius ubi erat manet.» (i.e. mortuus). Nonne revera tristis est finis fabellae? ■

1) Willy L. BRAEKMAN, *Hier heb ik weer wat nieuws in d'hand*, Stichting Mens en Kultuur, Gent, 1990, 639 p., ISBN 90-72931-13-0.

FATAE¹

SCRIPSIT AEGIDIUS LOUISE

Hanc fabulam Francogallice conscripsit Carolus Perrault.

Erat olim vidua cui filiae erant duae. Maior autem natu tam similis et natura et vultu erat matri ut quicumque illam videbat videre matrem crederet. Ambae erant tam importunae tamque superbae ut nemo cum mulieribus illis posset vivere. Minor natu, humanitate fideque patri simillima, erat praeterea una ex pulcherrimis puellis quae adspici poterant. Quoniam natura pares cum paribus sunt, mater illa maioris ex duabus filiabus natu peramans erat eademque a natu minore alienum habebat animum. Minor enim natu in culina cenare et continuo laborare debebat.

Quae misera puella, inter alia, bis in die ad fontem adire debebat ad aquam hauriendam, qui fons aberat a domo magnam semileugam², seriamque referre magnam. Quae cum quondam ad fontem versaretur, venit mulier ad illam pauper rogavitque aquam bibendam.

- «Vero ac libenter quidem, bona mater» inquit haec pulchra puella statimque hydriam colluit, aquam ex pulcherrimo fontis loco hausit, seriam porrexit et sustinuit ut misera mulier potare commodius posset.

Mulier, postquam potionem babit:

- «Tam pulchra, inquit, tam bona tamque proba es ut non possim non donare tibi aliiquid muneric» (nam illa erat fata quae pauperis mulieris speciem ceperat ut videret quatenus progrederi probitas huius puellae posset). «Do tibi, dicere perrexit fata, muneri hoc: quotienscumque vocem emittes, ex ore tibi exhibit sive flos sive gemma.»

Cum pulchra puella domum advenit, mater illam obiurgavit quod tam sero a fonte rediret.

- «Da veniam, mater, inquit misera puella, tam magnae morae.»

Quibus dictis, duae rosae, duae gemmae duoque ex ore adamantini exierunt lapides.

- «Quid video, inquit mater obstupefacta. Credo margaritas atque adamantes ex ore tuo exire. Unde hoc, mea filia?»

Ista mater tunc primum eam vocavit suam filiam. Quae infelix puella ei simpliciter narravit omnia quae evenerant, adamantes iactans innumerabiles.

- «Profecto, inquit mater, oportet meam illuc mit-

tam filiam. Age Franchon, vide quid ex sororis ore cum loquitur exeat. Nonne gaudeas si eandem habeas facultatem? Debes tantum ad fontem ire aquam haustum ac miserae mulieri humanissime dare bibere imploranti.»

- «Nullo modo, belvina respondit soror, ad fontem ibo.»

- «Volo adeas, inquit mater. Protinus!»

Illo igitur iit sed semper obmurmurans. Pulcherrimam ex lagunculis aedium aureis cepit. Postquam ad fontem pervenit, dominam splendide induitam e silva vidit exeuntem venientemque aquam petituram. Eadem erat fata a sorore iam visa quae speciem vestemque alicuius reginae ceperat ut videret quatenus istius puellae improbitas progrederetur.

- «Nonne huc veni, haec inquit inhumana soror superbaque, ut darem tibi bibere? Commodum lagunculam auream sedulo attuli ut dominae potionem praaberem. Si vis, ex ipsa lagoena bibe!»

- «Non probissima es» inquit fata neque irascitur. «Hem! Cum sis parum cornis, tibi do muneri hoc: quotienscumque vocem emittes, ex ore sive serpens sive bufo tibi exibit.»

Ut primum mater istam adspergit, magna ei voce dixit:

- «Hem! Mea filia!»

- «Heus! Heus! mea mater!» inhumana inquit, duas viperas duosque busones iaciens.

- «Di boni!» exclamavit mater. «Quid video? Factum est sororis culpa. Poenas lues magnas!»

Quae subito cucurrit eam verberatum. Misera filia fugit salutemque invenit in silva propinqua. Regis filius a venatu rediens illi occurrit eamque tam pulchram videns ab ea petivit quid hic sola faceret et cur fleret.

- «Heus! Domine, mater me pepulit domo.»

Regis filius quinque margaritas vel sex ex ore exeuntes vidit totidemque numero adamantes atque illam oravit ut diceret unde hoc veniret. Casum ei narravit suum. Regis filius puellae amore est captus. Cum talis praestaret facultas omnibus quae alicui in nuptiis dari possent, eam abduxit secum in regiam domum ubi matrimonio sibi coniunxit. Soror autem eius tam odio fuit omnibus ut mater ipsa ex aedibus eam pelleret. Misera filia, postquam cucurrit nec quemquam invenit eam accipere volentem, mortem in alicuius silvae angulo obiit.

Affabulatio

Adamantes ac denarii permovent animos; at tamen dulces voces plus etiam valent plurisque sunt pretii.

Affabulatio altera

Probitas sollicitudinem affert parvamque poscit obsequentiam, sed serius aut citius habet praemia, saepe cum minime de hoc cogitamus. ■

- 1) Fata est saga, id est puella vel femina, plerumque cum virgula divina, magicam exercens artem.
- 2) Apud Gallos, leuga (vel leuca) una valebat pro mille quingentis passibus Romanis. Passus Roma-

nus: metrum unum et quadraginta octo centesimae partes (1,48). Ergo leuga apud Gallos erat etiam intervallum duorum milium ducentorum viginti metrorum (1500 passus id est 2220 metra). Leuga erat quoque antiqua Gallica mensura itinerum quae erat distantia trium milium sex passuum Romanorum, hoc est quattuor milium quadrangenterum quadraginta octo metrorum (3006 passus Romani id est 4448 metra). Hodie leuga est intervallum duorum milium septingentorum quinque passuum Romanorum id est quattuor milium trium metrorum (2705 passus Romani id est 4003 metra). Igitur leuga est... "quaedam" distantia!

DE NOVIS LIBRIS

M. SCHÖN, *Mysterium iniquitatis*, Augustae Vindelicum, 1990, 55 p. (liber venumdatur apud auctorem, 1 c Goethestrasse, D-8900 Augsbourg).

Revera est, ut auctor nuntiat, «inaudita et singularis narratio». Duobus adulescentibus propositum est Annam Sophiam quandam stuprare; ad quod efficiendum eam invitant ad navigationem nocturnam. Miras res quae postea accidunt, Maximilianus Schön narrat ut hominibus sint exemplo; narrando scit animos tenere suspensos. Genus scribendi P. C. Eichenseer (*Vox Latina*, fasc. 103, pp. 121-123) modo scientifico iam iudicavit; ad quam symbolam lectores relego; ego quidem addam sermonem mihi in hoc tantum displicuisse, quod nimis contortus videtur; sed haec est quaestio indolis et sensus. Itaque utilius mihi videtur initium huius fabulae lectoribus proponere legendum quam ipsa multa facere verba:

"Nequeo mearum rerum initium ullum invenire magis idoneum, unde exordiar narrare, quam illud cubiculum perparvum et obscurum, in quo Grüni amicus dormire consueverat, id quod non erat omnibus potestas introeundi nisi invitatis, cubiculum dormitorium, quod diem, clamorem, sonum excludebat. Ibi Grüni collocatus in culcita modica sua, quae non sponda ferebatur, sed in terra iacebat, canebat multa cura varia carmina ad citharam suam dilectam, qua perite uti solebat. Cantum melancholicum et amorosum per multos sinfoniarum gradus flexit, ut citharae legibus obtenerare non iam videretur, sed ipse formare sonos caeruleos, qui de vita ac desideriis nostris narrarent."

Audiens cubiculum mihi iam notum spectavi, regnum Grüni ingeniosissime neglectum, ut, quibus praeter cetera Grüni rebus studeret, etiam si solum cubiculum nosses, belle potuisses conicere. Machina computatoria in angulo erat seposita, item libraria disciplina informatica et acervus vestimentorum. Parietes vero nullo loco non tecti quasi vestiebantur imaginibus pictis et simulacris versicoloribus. Ibi, ut

pauca exempla afferam, citharoedi vigentes tunc praeter ceteros depicti et ad veram effigiem redditum erant; istic virginis tenerae impudice arridentes membra nuda dabant aspectui omnium; illic tabula urbis Lutetiae cum omnibus viis, areis semitisque fixa ad parietem clavis ferreis haerebat. Alia in parte inter duo instrumenta, quibus voces amplificantur, maximus numerus papyrorum, in quibus olim herbae nicotinianae asservatae erant, ordine ac velut serie impositus erat, et varia genera tabaci variarum officinarum regionumque orbis terrarum ante oculos obversabantur. In pluteo pulverulento tres pedes discophonorum et magnus numerus caeruleorum nanorum candide pileatorum. Summis vero addita parietibus effigies crucis minio superpictae dominabatur iuxta sententiam facetam Latinam.

Semper fere consilia subita et repentina solent esse perniciosa et plena sceleris et audaciae. Pudet me dicere, pudet inquam, quod consilium amentissimum tum vesperi in hoc cubiculo cepimus - nam et Grüni tum nondum Deum secutus errabat nimis devius ab stabilitate animi, et ego longius etiam evagatus et tamquam exsultans cupiditate corporis non satis a ratione retentus sum. Aderat enim tum ex Lutetia Augustae Vindelicum puella quaedam septem et decem annos nata, hospes nostrae urbis Francogallica, mirae pulchritudinis, quam adhuc probe memini. Nam nihil in ea purissimum atque integrum non erat, adeo adulescentia primas pullulaverat gemmas. Crinis eius niger more huius aetatis solitus ac levis sicut iuba, membra omnibus simulacris emendatoriis. Puella procerissima, ut non putares in tam lucido et fragili corpore tantam voluptatem inesse.

Non dicam, quibus malis cogitationibus adducti hoc consilium ceperimus, non dicam, quam diu et quam libenter postea in hoc cubiculo clausi facinus indignum deliberaverimus et concoxerimus... ■

Francisca Deraedt

RESPONSES

SCRIPSERUNT

CHRISTINA SOCCIARELLI AD HENRICUM REINHARDT (MELISSA 39)

GUILELMUS BLUM AD ANDREAM FLOUR (MELISSA 40)

DOCTORI HENRICO REINHARDT S.P.D. CHRISTINA SOCCIARELLI

Cum scriptum «Ante omnia Roma vult sanari» in Melissa legisset, facere non poteram quin rescriberem, praesertim cum iuxta viam Fororum Imperialium habitem. Propositis nonnullis tuis respondebo.

1. De ratione urbanistica:

Cum alterutra sim mulierum illarum quae interdiu, non canem, sed nepotulum suum educit «in ambulationibus parallelis», quae in paragrapho hoc scripsisti, libenter legi sententiis omnibus plaudens, recusans tamen quominus via Fororum Imperialium deleatur.

2. De ratione archaeologica:

Temporibus praesentibus opus est scientiam archaeologicam... in, non utilissima, sed supervacanea eius progressione cohibere, impedire, sistere ne ars haec, laetissima et glorioissima et scientiae perutilis olim (Henrici Schliemann tempore e.g.) et nunc fortasse alibi, dissipatio fiat ad usum hominum litteris tintorum qui notitias quasdam scis- citant memoria tenendas ut docti habeantur? Qui homines vero, sive fossores, sive scriptores, sive lectores, pigerrimi sunt. Nonne effossiones maiore pecunia quam studio agent? Nonne lingua Latina viva, quam colimus, archaeologia mira est quae studio laboreque plus eget quam pecunia? Praeterea nemini prodest nimia rudera minuta sub oculis habere.

3. De ratione oecologica quam brevissime respondeo:

- de monumentis autoraedarum concussione debilitatis fractisque, ac de hominibus una cum lapidibus venenis pessumdati, opportune legi..., neque scelus hoc relinquere velle videamus!
- de Fororum regionis natura hortulana colenda, non est dubitandum.
- denique de ponte illo chalybeo per eandem regionem instruendo hoc dicam: quamvis iucundissimus foret ambulatoribus omnibus genus haberet Europae septentrionalis nimis proprium.

Quid ergo censeo faciendum? Via Fororum Imperialium moderatius uti ne inferna maneat quae ne pulchra quidem est.

Vale floreque. Dabam Roma, die 7 mensis Februarii, anno D. 1991.

P.S.: domus in qua Romae habito aedificata est in ruinis Traiani templi. Cuius domus mihi est pars minima, tamen spelunca magna praedita, in qua veterum fundamentorum arcus duo patent.

*
* *

GUILELMUS BLUM ANDREAE FLOUR (MELISSA 40
P. 14) RESPONDET

Scripserat Andreas Flour inter alias has duas sententias: «Suppressio, vis, violatio ipsa essentia sunt religionis Islamicæ. Mahometani unum habent principium: trucidare». His verbis - horribile scriptu - Europaeus quidam usus nihil aliud sibi confert nisi poenam gravem, arguitur enim offensionis et iniuria: «Iniuria», sicut docet Caius in suis Institutionibus III 220, «committitur... si cui convicium factum fuerit... sive quis ad infamiam alicuius libellum aut carmen scripserit». De iniuria igitur et contumelia et offensione agitur, id quod iudices quando erit accusator semper iudicabant iudicabunt.

Sed omissa haec iniuria quae viro Europaeo vel etiam Christiano digna numquam est ad rem ipsam adeamus.

- ## 1. De rebus ab Arabis gestis haec tantum proferamus. Tertio decimo post Christum natum saeculo philosophi Christiani textus Aristotelis non habuissent, nisi Arabi eos textus conservassent: erant enim soli Arabi qui Aristotelis verba et sequebantur et conscriberent, et Europaei sicut Guilelmus de Moerbeke Aristotelis dicta ex Arborum - et non Graecorum - in suam vertebant linguam! Franciscus qui Assisi natus erat ut pro Christi nomine necaretur regem Arborum adierat, sed ille

non modo non necavit illum pauperem, sed laudavit et ut secum cenaret invitavit. Si quis Hispaniae monumenta in memoria tenet, memor est multarum ecclesiarum Christianarum, quae arti Araborum congruunt: vide exempli gratia Granadae templum celeberrimum. In Hispania igitur Mauri multa relinquerant monumenta pulcherrima quibus et Christiani fruebantur: quomodo illos omnes trucidavissent?

2. Quis nescit philosophos Araborum fuisse optimos et sagacissimos? Solos Avicennam et Averroem afferre nobis licet qui philosophiae se dedecrant et res maximi momenti investigabant. Inter omnes vero constat, ut exemplum afferam, Sanctum Thomam Aquinatem contra hos duos philosophos scripsisse et eorum opiniones falsas esse demonstravisse; hic venerandus philosophus et theologus Christianus nullo loco scripsit trucidatores esse Mahometanos...

3. Religio Islamica inter magnas religiones mundi numeratur. Et liber Corani quin magnus sit religionis codex sive magnum praeceptum, dubitari nequit: multa ex eo libro ad res religionis et ad res politicas exhaustire possumus.

Non ignoramus in Corani libro et de infidelibus et de «bello sacro» quod vocant agi. Et certo scimus in sura 47,4 haec verba legi: «Quando infideles inveneritis, capita eorum secate, donec caedes inter eos magna fiat, et postea omnes vincite». Alia quidem exempla afferre longum est, sed vide Cora-

ni suras 8,57-58; 32,29; 13,31; 38,26; 3,8; 5,40; 24,56 et alios locos. Tamen clare et distincte dicendum est hic non de «bello sacro» agi, sed de bello quod contra infideles agatur. «Bellum sacram» enim id est, quod contra sua quisque vitia agit - et id bellum magni momenti unicuique homini est!

His diebus - manuscriptum est finitum die 24 m. Februarii 1991 - videmus copias Americanorum contra Iracos invasionem Cuveitii regionem incohasse. Saddam Hussein recte ac iure homicida fur sicarius appellari potest - sed haec contumelia qua dignus esse videtur cum religione confundi non potest: Saddam Hussein quin irreligiosus sit, dubium non est, nihil credit nisi sui ipsius gloriam (quae delebitur et abscindetur eiusque memoria damnabitur).

Bella trucidationes iniuriae sunt erant erunt inter homines, sed religiones quominus fiant bella impediunt. Christiani vero admonentur, ut pace fruantur et pacem propagent. Ad hoc autem attinet, ut veritate utamur. Veritate vero non utitur, qui, ut Andreas Flour Belga, agit de natura religionis Islamicae, «cuius sola ratio vis est et odium aliorum». Evidem certe scio Iracorum tyrannum odio impletum bellum incohasse, equidem certe scio hoc odium generis humani non a religione Islamica doceri.

Christianus vero fidelis ut homines in Deum credant oret, Iudeus Deum oret, Mahometanus Deum oret: orando enim Dei praecepta facimus.

*
* *

... *Et post illas magnas controversias, ad animos placandos vobis pulchros proponimus versus:*

CLAUDIO OCULOS

CECINIT IOSEPHUS TUSIANI

Claudio oculos: subito tu libera et integra surgis
a confundenti temporis insidia,
cara iuventa, bonum mihi lene, tuoque calore
venas accendis conciliante meas.
Cetera vanescunt. Tu maior facta resulges,
visio virtutis laetitiaque viri.
Albos interea nondum denuntio crines
nec primam speculum rugam oculis retegit.
Nunc iuvenis rursus, vitae non tangor amaris
annis: aeterna est fabula vita mihi.


LATINE LOQUI...



UBI CONDISCATUR

MELISSAE ITER LATINUM SECUNDUM... ERIT NAVIGATIO! (27/07/91 - 03/08/91)

Post iter aerium Bruxellis-Dalaman, hanc elegantem celocem concendent participes, qua vecti pulcherimum antiquae Lyciae litus lustrabunt, ubi maioris momenti situs archaeologicos invisent, qui sunt Xanthos, Patara, Antiphellos et Myra (et basilica Byzantina Sancti Nicolai). Paucae infeliciter sunt diaetae in celoce. Ei qui participare cupiant et plura scire velint ad nos quam citissime scribant.



SEMINARIA LATINA

Dr P. Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

9 - 16 m. Augusti anno 1991, Vestendae (Westende) in BELGICA

Interrogandus est: Gaius LICOPPE, Avenue de Tervueren, 76 - B-1040 Bruxelles. Tel. 02/735 04 08

14 - 20 m. Iuli anno 1991, Morsaci (Morschach) in HELVETIA

Interroganda est: Erica ROTH, Aeschistrasse, 6 - CH-3110 Münsingen. Tel. 031/920823

SEPTIMANA LATINA

4 - 10 m. Augusti anno 1991, Amoeneburgi (Amöneburg) in GERMANIA

Interrogandus est: Robertus MAIER, Dresdener Strasse, 10 - D-6070 Langen. Tel. 06103-71652

FERIAE LATINAE

22 - 29 m. Augusti anno 1991 Nicaeae in FRANCOGALLIA. Schedae inscriptionis petantur a: Clemente DESESSARD, Résidence des Collines, C.9, rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu. Tel. 93 49 01 91

SEMINARIUM VINDOBONENSE

29 m. Iuli - 3 m. Augusti anno 1991 Vindobonae in AUSTRIA. Institutum ab associatione c.n. L.V.P.A.: Marius ALEXA, Burgstrasse, 3 - D-4712 Werne. Tel. 02389/45334

BRUXELLIS IN DOMO LATINA

lingua Latina vivo modo docetur omni Lunae die, hora 19-20. Si quis plura scire cupit: tel. 02/735 04 08.